

DEMO: Multis locis tradidisti, & scriptis tuis affirmasti, sulphur & argentum vivum omnium metallorum vera esse naturalia principia, quod nunc vitriolo tribuis, hoc facit me non parum suspiciosum.

GEBER. Argentum vivum & sulphur, non esse metallorum prima principia, sufficienter probavimus, cap. 12. lib. 1. Eum locum si recte intelligis, cognosces, me manifeste tradidisse, hæc in sua natura minime vera principia metallorum, sed aliud quiddam, quod sequitur ex alteratione substantiæ eorum in radice naturali ad substantiam terream.

DEMO: Obscurus est hic sermo: non intelligo.

GEBER. Meministi haud dubie, me dixisse jam, terram, aquæ commixtam, radicem esse, & fundamentum omnium metallorum?

DEMO: Memini.

GEBER. Hæc autem eorum alteratio, in substantiam terream, minime fit in ipsa essentia aut substantia sulphuris, aut argenti vivi communis; Sed in ipsorum radice, scilicet, in terra, aquæ commixta, per calorem mineralem & cœlestem decocta & transmutata, ut satis aperte ostendimus.

DEMO: Nunc, si libet, etiam de mediis mineralibus, & principiis remotis pauca refer.

GEBER. Medium minerale, ex quo omnia metalla & argentum vivum, & Marchasita &